



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Intra quatuor & quadraginta annos variè se gesserunt Romani Pontifices in eadem facti specie. Quod ostenditur per comparationem causæ Hermetis cum causa Perigenis Episcopi Corinthiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Galliarum Metropolitanum, in causa nimirum Hermetis Episcopi Biterrensis, qui ad Ecclesiam Narbonensem transierat post obitum Rustici, non repugnante, ut video, Leontio. De quo negotio antè quàm plura dicam, necessarium mihi videtur referre locum ex hac tertia Hilari ad Leontium epistola, ex qua colligere possumus, cum in ea tantum agatur de invasione Ecclesiae Narbonensis, non dubitasse Summum Pontificem quin prima provincia Narbonensis ad curam pertineret Arelatensis antistitis. Nam haec sunt omnino verba ejus: *Miramur fraternitatem tuam ita legis catholice immemorem esse ut quae iniqua & contra patrum nostrorum statuta in provincia quae ad monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis aut non potes, etiam nec nos silentij tui taciturnitate permittas corrigere.* Ex quo interim loco discimus invidiosum non esse nomen monarchiae in vetusto codice M. S. monasterij Iurenensis, cujus fragmentum retulit Chiffletius in sua Vefontione his verbis: *Si quidem antedictus Hilarius venerabilem Celidonium supradictae metropolis Patriarcham patrisio profectu quoque fultus favore, indebitam sibi per Gallias vindicans monarchiam, à sede episcopali nulla existente ratione dejecerat.* Nam & posterioribus temporibus monarchiae vocabulum usurpabant, cum significare volebant singularem unius Episcopi dioecesim.

IV. Hunc ego Hermetem, cujus causa haec agitur, Rustici Episcopi Narbonensis Archidiaconum fuisse puto, à quo Biterrensis haud dubie ordinatus fuerat Episcopus. Haud ita multo post Rusticus obierat. Hermes verò, qui se à Biterrensis exclusum ac susceptum non fuisse querebatur, ad Narbonensem Ecclesiam tranfit, consensu, ut ego existimo, cleri ac populi, Episcoporum provincialium, & ipsius etiam Leontij Arelatensis, eaque translatio sine controversia tenebat. Sed quia nihil adeo concordibus animis agi inter homines potest quod non aliquos habeat contradicentes, Frithericus quidam vir magnificus, at laicus, misso Romam Ioanne Diacono, Hermetis ordinationem in Narbonensi Ecclesia turbare studuit, ea videlicet de causa quod contra canones ab Ecclesia sua transisset ad majorem. Faustus verò & Auxanius Episcopi Gallicani Romam eadem de causa profecti sunt ad accusandum Hermetem. His auditis Hilarus, lætus fortassis quod occasionem haberet reddendi Leontio sua verba, eum ob istam causam redarguit, jubetque ut relationem de ea re ad se mittat sua ac ceterorum Gallicanorum Episcoporum subscriptione firmatam; *ut quid definire possimus, inquit, recurrenti pagina possitis agnoscere.* Tum in epistola

generali ad provincias missa, multa prolocutus de atrocitate istius facinoris, demum in haec verba erumpit: *Quibus enim, sicut etiam vos probatis, factum constas exemplis, & qua non oburgatione dignissimum est quod sanctorum patrum decretis & ipsis repugnat canonum constitutis?* Ait ergo, Hermeti, quem ecclesiastica quietis contemplatione non remouet à sede Narbonensi, ordinandorum Episcoporum potestatem ademptam esse in Concilio Romano, & ad Constantium Vercicensem, qui aeo honoris Primas erat, esse delatam; ita tamen ut Hermete deficiente, faciendorum mos antistitum Narbonensi mox reddatur Ecclesiae; quem non civitas sed causa praesumptionis amisit.

V. Causam Hermetis integram retuli, ut ostenderem intra quatuor & quadraginta annos variè se in eadem facti specie gessisse Bonifacium & Hilarum Romanos Pontifices. Nam cum anno CDXIX. Perigenes Episcopus Patrensis, sed qui à Patrensis non esset susceptus, ordinatus fuisset Ecclesiae Corinthiensis Episcopus, eamque translationem, tanquam canonibus adversam, non tolerarent quidam Episcopi Illyriciani, re ad Bonifacium Papam delata, Bonifacij decreto confirmata est post judicium Rufi Episcopi Thessalonicensis, cujus studiis atollebatur Perigenes. Immo Bonifacius ad divinam providentiam retulit quod à Patrensis susceptus non fuisset Perigenes, ut in Ecclesia illa Episcopus esse posset in qua suam à cunabulis transegisset aetatem, & in ordinatoris locum succederet. Sic enim de illo scribit ad Rufum Bonifacius: *Quis reuinit iudicij fuisse divini ideo hunc à Patrensis in tempore non esse receptum, & diu super praemissa Ecclesia magna deliberatione suspensum, ut hujus ovilis pastor fieret in cujus caulis suam à cunabulis transegisset aetatem? Iudicia Dei, abyssus multa, quod congruè aptamus exemplum. Et nemo crederet quod in ordinatoris aliquando locum subrogari posset, quia fuerat * ab aliis ordinatus.* Non ambigo caelestis tunc istud fuisse sententia &c. Postremo eis minatur excommunicationem qui populos Achaiae excitare dicebantur adversus Perigenem: *In eos necesse est vigorem censura, qui contra nostrum post haec nescientibus nostris incitare dicuntur populos, si perstiterint, execramus.* Itaque valuit translatio Perigenis, ceu supra diximus. Haec Bonifacius in gratiam Perigenis.

VI. Hilarus verò Hermetem diverso consilio studens opprimere, primò negat aliquod exemplum esse quo causa ejus adjuvari possit, nesciens haud dubie quod aeo praedecessoris sui Bonifacij contigerat in Achaia. Tum ait translationem illam repugnare pa-

Vide suprad. cap. 22. § 1. & cap. 24. § 6. 13. & seqq.

Apud Hosten. in Collect. Rom. pag. 53.

* Legendum, quia fuerat alio modo natus.

Vide suprad. cap. 24. §. 14. 15.